

Feria secunda post Dominicam Passionis  
HOMILIA\*

*In novissimo... die magno festivitatis clambat Iesus in templo dicens: Si quis sitit, veniat ad me.<sup>1</sup>*

I. Multis hieroglyphicis Deus in Sacris Litteris designatur: nunc *sol* dicitur,<sup>2</sup> nunc lux,<sup>3</sup> nunc *ignis*,<sup>4</sup> sed praecipue per *fontem aquae vivae* saepenumero symbolice Deitas ipsa nobis reappresentatur. Regius Vates aiebat: *Deus, Deus meus... sitivit in te anima mea*,<sup>5</sup> *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum.*<sup>6</sup> Ieremias ait: *Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum;*<sup>7</sup> et ipse Deus: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae;*<sup>8</sup> item alias: *Omnis sitientes venite ad aquas;*<sup>9</sup> Isaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,*<sup>10</sup> idest Dei; nam dixerat: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus et factus est mihi in salutem;*<sup>11</sup> postea vero: *Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel;*<sup>12</sup> *Sanctus Israel, verus Deus, in medio tui est magnus fons aquarum viventium.* Sic designatur Deus fons omnium bonorum. Nam Thales Milesius aquam posuit naturalium rerum principium;<sup>13</sup> *H o m e r u s* rerum generationem Oceano tribuit,<sup>14</sup> quoniam sine aquae humore in natura nihil generatur.

Sed si Deus fons est aquarum viventium, fons omnium honorum, sicut in mundi creatione manifeste ostendit, mirum non est si hodie Christus, unigenitus Filius Dei, *fontem* se appellat dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Sed fontem se dicit in templo: fons [est] gratiarum:

---

\* Il testo proposto è in S. LAURENTII A BRUNDUSIO, *Opera Omnia*, VI, *Quadragesimale tertium*, Patavii: ex Officina Tipographica Seminarii, 1946, pp. 558-65.

Elenchus auctorum qui a s. Laurentio et a nobis citantur:

DIOGENES LAERTIUS, *De vita et moribus philosophorum*, Antuerpiae, ex officinal Cristiphori Plantini 1566.

HOMERUS, *Poemata*, cum interpretatione Henrici Stephani, sine loco, 1588.

PINDARUS, *Olympiae*, Basileae, apud Andr. Crat 1528.

PLATO, *Opera omnia*, Traslatione Marsilii Ficini, Venetiis, apud Hier. Scotum 1571.

PLUTARCHUS CHAERONEUS, *Ethica sive moralia*, Basileae, apud Th. Guarinum 1573.

A. ZANOLINI, *Lexicon Hebraicum*, Patavii: typis Seminarii, apud Io. Manfrè, 1722.

<sup>1</sup>Io 7,37.

<sup>2</sup>Cf. Ps. 83 (hebr. 84), 12; Mal 4, 2.

<sup>3</sup>Cf. Ps. 42, 3; Sap 7, 26 Eccli 46,18; 50,31; Is 9, 2; 46, 6; 60, 19-20; Io 1, 4-9; 3, 19; 8, 12; 9, 5; 1 Io 1, 5.

<sup>4</sup>Cf. Dt 4, 24; Ez 1, 4-27; 8, 2; Mal 3, 2; Hebr 12, 29.

<sup>5</sup>Ps 62, 2.

<sup>6</sup>Ps 41, 2-3.

<sup>7</sup>17, 13.

<sup>8</sup>Ibid. 2, 13.

<sup>9</sup>Is 55,1.

<sup>10</sup>12,3.

<sup>11</sup>Ibid. vr. 2.

<sup>12</sup>Ibid. vr. 6.

<sup>13</sup>Cf. DIOGENES LAERTIUS, *De Vita et Moribus Philosophorum*, lib. 1, pag. 16.

<sup>14</sup>*Ilias*, lib. 14, vr. 302.

*Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*<sup>15</sup>

II. Magnum aperit Evangelista mysterium. Quid est quod adeo honoratum legimus in Sacris Litteris aquae elementum? Creat Deus primam lucem, sed super aquas; creat firmamentum, sed in medio aquarum,<sup>16</sup> plantat paradisum, irrigat aquis;<sup>17</sup> purgare vult mundum diebus Noe, utitur aquis;<sup>18</sup> primum miraculum quod operatur per Moysen in Aegypto, in aquis;<sup>19</sup> primum post exitum de Aegypto, in aquis maris Rubri;<sup>20</sup> primum post ingressum in desertum, in aquis Mara;<sup>21</sup> primum in ingressu terrae promissionis, in aquis Iordanis;<sup>22</sup> primum quod in templo Salomonis, mare aeneum, magnum vas aquarum;<sup>24</sup> primum miraculum quod fecit Eliseus, cum duplicem spiritum Eliae accepisset una cum pallio ipsius, fuit in aquis Iordanis;<sup>25</sup> si mundare voluit lepram Naaman syri, aquis usus fuit Iordanis,<sup>26</sup> et insuper aquas eduxit in deserto tribus exercitibus trium regum.<sup>27</sup> Christus Dominus noster primo manifestatus a Patre fuit in aquis Iordanis,<sup>28</sup> primum miraculum operatus fuit in aquis,<sup>29</sup> primos Apostolos vocavit ex aquis,<sup>30</sup> primum Sacramentum instuit in aquis,<sup>31</sup> post resurrectionem etiam suam honorare voluit aquas miraculo magnae illuis punctionis.<sup>32</sup> Causa huius rei est quoniam aqua Spiritum Sanctum significat: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

Aqua elementum est valde necessarium, utile et delectabile. Pindarus, lyricorum pater, in 3 libro *Olympiarum*<sup>33</sup> tradidit aquam elementum esse praestantissimum omnium, ut refert Platon in *Euthydemus*.<sup>34</sup> Disputat Plutarchus quodnam sit utilius aut praestantius elementum, aqua an ignis; sed sub iudice litem reliquit.<sup>35</sup> Nobis sufficiat id quod certum est, aquam esse hominibus summe necessariam, utilem et iucundam. Populus Hebraeorum in deserto summopere expetivit aquam;<sup>36</sup> David desideravit aquam

---

<sup>15</sup>Io 7, 37-39.

<sup>16</sup>Cf. Gn 1, 5-7.

<sup>17</sup>Cf. Ibid. 2, 4-10.

<sup>18</sup>Cf. Ibid. 6, 1-7, 1 sqq.

<sup>19</sup>Cf. Ex 7, 14-21.

<sup>20</sup>Cf. Ibid. 14,21 sqq.

<sup>21</sup>Cf. Ibid. 22,25.

<sup>22</sup>Cf. Ios 3, 14-17.

<sup>23</sup>Cf. Ibid. 30, 18; 40, 7. 28.

<sup>24</sup>Cf. 3 Rg 7, 23; 2 Par 4, 2.

<sup>25</sup>Cf. 4 Rg 2, 6-14.

<sup>26</sup>Cf. ibid. 5, 9-14.

<sup>27</sup>Cf. ibid. 3, 9-20.

<sup>28</sup>Cf. Mt 3, 13-17; Mc 1, 9-11; Lc 3, 21-22; Io 1, 32-34.

<sup>29</sup>Cf. Io 2, 3-11.

<sup>30</sup>Cf. Mt 4, 18-22; Mc 1, 16-20; Lc 5, 1-11.

<sup>31</sup>Cf. Mt 28, 19; Mc 16, 16.

<sup>32</sup>Cf. Io 21,6.

<sup>33</sup>Cf. *Olymp.* 3, vr. 42.

<sup>34</sup>*Euthid.*, lib. 18.

<sup>35</sup>Cf. *Ethica sive moralia*, pp. 412-4.

<sup>36</sup>Cf. Ex 17, 2; Nm 20, 4.

de cisterna Bethlehem.<sup>37</sup> Cognovit mundus qualis et quanta sit aquae tum utilitas tum necessitas, quando in poenam peccatorum Deus clausit coelum, nec pluit annis tribus et mensibus sex.<sup>38</sup>

Ideo Spiritus Sanctus per aquam designatur, ut cognoscamus quam necessaria et utilis nobis sit gratia Spiritus Sancti: *Si quis silit, veniat ad me et bibat, quoniam fons sum paradisi, fons de quo scriptum est: Eri fons patens domui David... in ablutionem peccatoris,*<sup>39</sup> et: *Fons de domo Domini egredietur;*<sup>40</sup> fons unde emanat fluvius ille aquae vivae, splendidus tanquam crystallum, quem Ioannes vedit procedentem de sede Dei et Agni,<sup>41</sup> quoniam Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit; fons ille in templo Ezechielis, ex quo magnus ille torrens, imo fluvius, qui transvadari non potuit prae nimia copia aquarum.<sup>42</sup>

III. Mirabile dictu est quanta sit copia aquarum divini huius fontis: *Qui... biberit ex aqua quam ego dabo ei, non silit in aeternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;*<sup>43</sup> *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

Magna aquarum copia fluxit de petra percussa in deserto: *Percussit petram et fluxerunt aquae et torrentes inundaverunt;*<sup>44</sup> *Interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abyso multa; et eduxit aquam de petra et deduxit tanquam flumina aquas.*<sup>45</sup> Sicut autem petra illa Christum designabat et desertum Ecclesiam, ita magna illa aquarum abundantia de petra magnam copiam gratiarum Christi in Ecclesia.

Magnus fons erat ex quo fluvius emanabat, qui irrigabat paradisum et inde dividebatur in quattuor flumina;<sup>46</sup> sic magnus fons Christus, quoniam Deus est, quo maius axcogitari non potest. Magna est luminis copia in coelo, magna aquarum abundatia in paradyso, aquae et mannae in deserto, lactis et mellis in terra promissionis, divitiarum auri et argenti in regno Salomonis,<sup>47</sup> sic gratiae in regno Christi *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum.*<sup>48</sup>

Semper quidem ab initio saeculi in Ecclesia viguit fides et gratia Spiritus Sancti; sed sub lege naturae magna in Abele, Enos, Enoch, Noe, Patriarchis; in lege Moysi maior in Moyse, Aaron, Iosue, Samuele, Davide, Elia, Eliseo, Ezechia, et aliis; in Evangelio maxima in apostolis, Martyribus et aliis Sanctis, post Mariam Matrem Domini et Ioannem Baptistam. Sic *S a l o m o n* triplicem Ecclesiae statum descriptsit dicens: *Quae est ista quae progreditur sicut aurora consurgens, ante legem, pulcra ut luna, sub lege, electa ut sol? post legem, sub Evangelio, quoniam sub Evangelio Ecclesia est sicut sol et sicut castrorum acies*

---

<sup>37</sup>Cf. 2 Rg 23, 15.

<sup>38</sup>Lc 4, 25.

<sup>39</sup>Zach 13, 1.

<sup>40</sup>Ioel 3, 18.

<sup>41</sup>Apc 22, 1.

<sup>42</sup>Cf. 47, 1-5.

<sup>43</sup>Io 4, 13-14.

<sup>44</sup>Ps 77, 20.

<sup>45</sup>Ibid. vrr. 15-16.

<sup>46</sup>Cf. Gn 2, 10.

<sup>47</sup>Cf. 3 Rg 10, 14 sqq.; 2 Par 9, 13-24.

<sup>48</sup>Tit 3, 5-6.

*ordinata,<sup>49</sup> sicut turris David... quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.<sup>50</sup>*

Ante legem fuit Ecclesia sicut atrium, in lege sicut sanctum, sub Evangelio ut sanctum sanctorum; ante legem ut regnum Israel sub Saule, sub lege ut sub Davide, sub Evangelio ut sub Salomone. Templum Salomonis multo maius multoque gloriosius extitit tabernaculo Moysi, sic Ecclesia synagoga in gratia et donorum Spiritus Sancti abundantia: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit.<sup>51</sup>* Luna plena et sereno coelo non est nox sine lumine, sed dies semper est multo clarior. *Iam... hiems transit, imber abiit et recessit... tempus putationis advenit.<sup>52</sup>* tempus vernum atque aestivum multo clarius est multoque serenius tempore hiemali, quod obscurum valde est et frigidum, nebulosum, pluvium, ad iter inopportunum; multo maior est copia luminis et caloris fructuumque vere quam hieme. Sic multo maior copia gratiarum in Ecclesia quam in synagoga: *Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.*

IV. Moyses ait quod *fons ascendebat de terra ad irrigandam universam superficiem terrae;<sup>53</sup>* hebraice est נָתַת, quae vox duabus litteris constat: נ et ת;<sup>54</sup> prior est divinitatis hieroglyphicum apud secretiores Hebraeorum theologos,<sup>55</sup> quoniam prima est littera alphabeti; posterior vero symbolum humanitatis est ob numerum quaternarium, quo constat humana natura.<sup>56</sup> Sic Christum designat, in quo natura humana coniuncta est divinae.

Sic Christus fons est ad irrigandam universam superficiem terrae: נָתַת,<sup>57</sup> quae etiam humanitatem significat, quoniam Deus est qui in Sacris Litteris bonorum omnium fons demonstratur in creatione mundi, in formatione hominis; fons generationis, dum Abrahamo filium dedit;<sup>58</sup> fons vitalis nutrimenti, dum populo manna de coelo dedit et aquam de petra;<sup>59</sup> fons sapientiae, dum Salomoni sapientiam dedit;<sup>60</sup> fons vitae, [qui] Ezechiae vitam donavit;<sup>61</sup> fons sanctitatis, qui Moysen, Aaron Prophetasque et sacerdotes sanctificavit. Sic Christus fons bonorum omnium, quia Deus. Talem se ostendit miraculis, illuminando caecos,<sup>62</sup> sanando infirmos,<sup>63</sup> cibando esurientes,<sup>64</sup> suscitando mortuos,<sup>65</sup>

<sup>49</sup>Ct 6, 9. Vulg: *Quasi aurora, etc.*

<sup>50</sup>Ibid. 4, 4.

<sup>51</sup>Rom 13, 12.

<sup>52</sup>Ct. 2, 11-12.

<sup>53</sup>Gn 2, 6. Vulg.; *E terra irrigam universam, etc.*

<sup>54</sup>Ms.: *Aleph et Dalet.*

<sup>55</sup>Tunc sic scribitur: נ et significat: נָתַת. Cf. A. ZANOLINI, *Lexicon Hebraicum*, pag. 30.

<sup>56</sup>Est enim ת quarta littera alphabeti hebraici. Quattuor principia humanae naturae forte intelligit esse, vivere, sentire et intelligere.

<sup>57</sup>Ms.: *Adamah.*

<sup>58</sup>Cf. Gn 15, 4-6; 17, 19; 21, 1-2.

<sup>59</sup>Cf. Ex 16,14 sqq.; 17, 5-6; Nm 20, 7-11.

<sup>60</sup>Cf. 3 Rg 3, 11-12; 2 Par 1, 11-12.

<sup>61</sup>Cf. 4 Rg 20, 1-11; Is 38, 1-8.

<sup>62</sup>Cf. Mt 9, 27-30; 15, 30-31; Lc 18, 35 sqq.; Io 9, 1-7.

<sup>63</sup>Cf. Mt 8,17; 9, 1-8. 20-22. 35; 12. 9-13. 15; 14, 14; 15, 21-28. 30-31; Mc 6, 5. 53-56; Lc 4, 38-40; 13, 10-17; Io 5, 1-10.

<sup>64</sup>Cf. Mt 14, 15-21; 15, 32-38.

iustificando peccatores,<sup>66</sup> dando Spiritum Sanctum: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; Fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terrae, ad explendam sitim desideriorum humanae naturae.*

Homo nanque suapte natura tria vel maxime desiderat: vitam beatam, scientiam universalem et potestantem magnam atque divinam, ut possit facere omnia quae vult. Explere autem desideria haec nonnisi Deus potest, qui in Beatis explet haec desideria in paradiſo; nam haec sunt urna mannae,<sup>67</sup> tabulae legis,<sup>68</sup> et virga virtutis Dei<sup>69</sup> in sanctuario Domini. Explet autem haec quodammodo in electis suis per Spiritum Sanctum in Ecclesia; nam Apostoli, accepto Spiritu Sancto, repleti fuerunt divina sapientia<sup>70</sup> ut Salomon, divina potestate donati ut Moyses, aeterna vita in coelo ut Elias.<sup>71</sup> Sic ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.*

*Flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Abundantiam designat gratiarum in Ecclesia: *Puteus hortorum, fons aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano;*<sup>72</sup> *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei;*<sup>73</sup> *Orietur in diebus eius iustitia et abundia pacis.*<sup>74</sup> I o e l ait: *In illa die stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et mel, et per omnes rivos Iuda ibunt aquae et fons de domo Domini egredietur;*<sup>75</sup> magna utique aquarum copia, sed designat aquam sapientiae salutaris: *Repleta est terra scientia Domini sicut aquae maris operientes;*<sup>76</sup> *scientia Domini, idest cognitione Dei.* Ex cognitione autem Dei oritur amor caritasque divina, hinc divinae legis observantia, hinc vitae puritas sanctitasque, hinc pietas cultusque divinae religionis, orationes, vota, sacrificia, sanctioris vitae instituta. Sic *flumina de ventre eius fluent aquae vivae; Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam;*<sup>77</sup> Benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo.<sup>78</sup> *Flumina... fluent aquae vivae: Divisiones... gratiarum sunt, idem autem Spiritus.*<sup>79</sup>

V. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus et clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Proprium Dei est reddere bona pro malis. Deus sicut coelum est, quod nonnisi multa magna beneficia confert dimittique in terram; sed mundus sicut terra est, quae nonnisi impuros vapores umbrasque, quibus luna aliquando eclipsatur, mittit in coelum. Reddit mundus Deo mala pro bonis, Deus autem mundo bona pro malis.

Sed vae iis qui, cum vitam ducant in peccatis, bona tamen accipiunt a Deo, bona utique mundi huius! Clamat enim tunc Deus: *In novissimo... die magno festivitatis,*

<sup>65</sup>Cf. Ibid. 9, 18-25; 11, 5; Lc 7, 11-15; Io 11,41-44.

<sup>66</sup>Cf. Mt 9, 2-7; Lc 7, 47 sqq.; 19, 2-8; 23, 40-43; Io 5, 13-14; 8, 11.

<sup>67</sup>Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4.

<sup>68</sup>Cf. Ex 25, 16. 21; 40, 18; Dt 10, 5; 3 Rg 8, 9; Hebr 9, 4.

<sup>69</sup>Cf. Nm 17, 10; Hebr 9, 4.

<sup>70</sup>Cf. Act 2, 1-4.

<sup>71</sup>Cf. 4 Rg 2, 11.

<sup>72</sup>Ct 4, 15. Vulg.: *Fons hortorum, puteus aquarum, etc.*

<sup>73</sup>Ps 45, 5.

<sup>74</sup>Ps 71, 7.

<sup>75</sup>3, 18. Vulg.: *In die illa... fluent lacte.* Ms.: *Ascendit, loco: Ibunt.*

<sup>76</sup>Is 11, 9.

<sup>77</sup>Ps 64, 10.

<sup>78</sup>Eph 1, 3.

<sup>79</sup>1 Cor 12, 4.

scenopegiae, tabernaculorum, quod festum erat divinae providentiae; divina nanque providentia reprobis dat bona in hoc mundo, sicut epuloni: *Erat dives... induebatur purpura et byssio et epulabatur quotidie spendide; sed mortuus est... dives et sepultus est in inferno.*<sup>80</sup> Sic est omnis qui Deo reddit mala pro bonis, ut fecerunt hodie principes synagogae.<sup>81</sup> Ubinam sunt nunc principes Iudeorum? Ubi eorum respublica? Ubi status? Ubi dominia? Eorum gloria? *In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus et clamabat.* Funditus eversa est Iudeorum respublica causa malorum principum. Vae iis qui Dei bonitate abutuntur! Nam in novissimo Deus ultimum, ut ita dicam, de potentia apponit; hinc clamat hodie Christus invitans ad suam gratiam, sicut voce magna clamavit ad Lazarum suscitandum.<sup>82</sup> Si homo obduraverit cor cum Pharaone ut non audiat vocem Domini,<sup>83</sup> secundum duritiam cordis sui thesaurizat sibi iram in die irae,<sup>84</sup> sicut et Pharaon.<sup>85</sup>

Mali principes similes sunt Pharaoni, imo satanae; sunt in respublica sicut caput infirmum morboque affectum gravi in corpore. In mundo Christus a principibus nonnisi mala accepit, nonnisi persecutionem passus fuit: Herodes ipsum infantem occidere voluit;<sup>86</sup> alter Herodes, qui Ioannem occidit,<sup>87</sup> eum illusit;<sup>88</sup> Pilatus crucifixit,<sup>89</sup> principes Iudeorum, Annas et Caiphas cum ceteris principibus sacerdotum, mortalissimo odio ipsum semper ad necem quaesiverunt. Quam rari sunt principes qui non sint vel inimici Christi, vel rebelles! Qui Christi leges et iussa non contemnunt! Qui Christum factis non persequantur! Quam rari sunt qui vere Christi servos ministrosque se agnoscant et profiteantur, cum vere non sint nisi ministri Dei, in hoc ipsum servientes! sed Adamum imitantur, qui factus a Deo princeps mundi, statim satanae opera rebellis factus fuit Deo, transgressor divini mandati, sicut Ieroboam qui, cum a Deo regnum Israel accepisset, postea regnandi causa a Deo deficiens, idolatriam introduxit vitulosque aureos erexit adorandos dicens: *Isti sunt dii tui, Israel qui te eduxerunt de terra Aegypti,*<sup>90</sup> sicut Aaron fecerat in deserto.<sup>91</sup>

---

<sup>80</sup>Lc 16, 19-22.

<sup>81</sup>Cf. Io 7, 45.

<sup>82</sup>Cf. Ibid. 11, 43.

<sup>83</sup>Cf. Ex 5, 2.

<sup>84</sup>Cf. Rom 2, 5.

<sup>85</sup>Cf. Ex 14, 23 sqq.

<sup>86</sup>Cf. Mt 2, 16.

<sup>87</sup>Cf. Ibid. 14, 3-10; Mc 6, 17-27.

<sup>88</sup>Cf. Lc 23, 8-11.

<sup>89</sup>Cf. Mt 27, 26; Mc 15, 15; Lc 23, 24-25; Io 19, 16.

<sup>90</sup>3 Rg 12, 28. Vulg.: *Ecce dii tui*, etc.

<sup>91</sup>Cf. Ex 32, 4-8.